



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Joannis Nadasi, è Societate Jesu, Annus Caelestis,
Jesu Regi, & Mariae Reginae, Sanctorum Omnium Sacer**

Anni Caelestis Dies, & Festa Mobilia

Nádasi, János

Coloniae Ubiorum, 1667

17 Aprilis. 15 Kal. Maji.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53527](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53527)

17 Aprilis. 15 Kal. Maji.

SAncte Helene, qui cibos tibi, post jejunia, ministratos à dæmone, cum respueres, Angelos ciborum & mensæ ministros habuisti: qui in fidei Catholicæ testimonium, ignem illæsus calcâsti; & immissum discipulo tuo, ab Angelo satanæ, impurum turpium cogitationum ignem, vexato immundo spiritu, extinxisti. Attende et mihi, & nunc, & in posterum, ne quâ me arte, vel dæmon, vel homo, à dæmone ad id substitutus, inescare possit, & morti æternæ addicere. Dæmonis esca est, quicquid peccatum est. O jejunem ego! Nolo dæmon in me jus ullum habeat; sed post sancta hic jejunia, ad æternas epulas me Angeli sancti à morte abducant. Amen.

S. Anicete Papa M.

S. Mappalice M. agone felicissimo coronate, unâ cum sociis.

Sancti Fortunate, & Marciane, MM.

Sancti Petre, & Hermogenes, MM.

Sancti Elia, Paule, & Isidore, MM.

Y 5

Sancti

Sancti Pantagathe, & Innocenti, Episcopi.

S. Stephane Abba, qui regulas à te cõditas, *chartam charitatis* appellasti: quem, cum tuis Religiosis laborantem, Dei Mater in agro, videntibus id omnibus, candidissimam zonam cinxit; postea oranti, tempus mortis feliciter obeundæ, ac æternitatis beatæ adeundæ, prædixit. Doce me benè legere *chartam charitatis*, mihi à Deo, Deique vicerentibus, præscriptam: doce colere, ac amare Matrem Dei; ac ita laborare, ut sim dignus, qui in sinu Matris gloriæ requiescam, ascendens ad populum accinctum nostrum.

S. Vasi, nobilis adolescens, qui te servis, & opibus, pro Christo abdicasti, auditis illis in templo: *Nolite diligere mundum; neque ea, quæ in mundo sunt: quoniam qui diligit mundum, non est charitas Patris in eo.*

S. Landrice Ep. Sanctorum Vincentii, & Waldetrudis Comitum, filii.

OMNES SANCTI, &c.
pag. 320.

S. MARIA, qua hodie in Sanctorum album relato, Sancto tuo Hyacintho,

in statuâ tuâ, locuta, efferrî ab illo voluisti; & ille alterâ manu sacram Eucharistiam, alterâ statuam tuam, inimicorum furori eripuit. Ora pro me, ut amem Filium tuum, & te; portem te; nihil sudoris recusem pro te, in prosperis, & adversis!

S. MARIA Budriensis, ad cuius imaginem supplex monialis, in pede altero, à pestifero ulcere repente libera, sine fulcris sana discessit. Perfice gressus meos in itineribus aternitatis ejus, ad quam deducis verè amantes te!

18 Aprilis. 14 Kal. Maji.

*S*ANCTE Ursmare Ep. qui pane novem annis abstinuisti; morbos, lemures, dæmones orando expulisti; paratus quotidie animas cælo, etiam sanguine, emere: qui denique, per admirabilem patientiam, Jobum imitatus, possedisti animam tuam, eamque in cælum expirâsti: qui tunc necdum natus, matri gravidæ, per scalas cælos ascendens, divinitus es ostensus; & illa, candidissimo pane, à sene de cælo veniente, donata, jussa est te illo pane nutrire in fame, quæ tunc passim grassabatur. Doceme cælesti pane sanctè vesci. O ascendam